

quaelibet forma corporea. Atqui ex sententia Scholasticorum neque corpus, neque quaelibet forma corporea cognitione sensitiva pollēt; nam anima belluina, cui cognitio sensitiva attribuitur, non est corpus, imo indivisibilis est, atque etsi forma materialis sit, tamen ipsa a ceteris formis materialibus differt. Ergo illam sententiam materialismo viam sternere summa iniuria asseritur. Neque dicas animam belluinam, etsi ceteris formis materialibus antecellat, tamen ab iis non differre, tum quia est, perinde ac illae, materialis, tum quia per virtutem corpoream producitur. Etenim, quod spectat ad primum, formae materiales, ex Scholasticorum sententia¹, non pollent eadem perfectione, sed maiorem, vel minorem gradum perfectionis admittunt, prout magis, vel minus ad materiam deprimuntur. Atqui in formis, ut s. Thomas docet, differentia invenitur, « per hoc, quod una perfectior existit, quam alia² ». Ergo eo ipso, quo anima belluina ceteris formis antecellit, ab illis differre dicenda est, ac proinde sibi esse proprias operationes, quae aliis non convenient, quia « ex diversitate formarum, secundum quas rerum species diversificantur, sequitur et operationum differentia³ ». Quod attinet ad alterum, ex iam dictis⁴ patet, animam belluinam per virtutem corpoream produci non tamquam per causam principalem, sed tamquam per causam instrumentalem. « Virtus seminis disponit materiam, virtus autem animae dat formam materiae in generatione animalis⁵ ».

CAPVT VI.

De rerum mundanarum nexu et ordine

Ex pluribus, inaequalibusque rebus mundanis unicum illud sistema, quod *mundus* vocatur, constitui non posset, nisi quodam nexus illae inter se continerentur, atque ad unicum ordinem concurrerent. De hoc igitur nexus, et ordine disserendum nobis est.

¹ Cf p. 131. — ² *Contr. Gent.*, lib. III, e. 97.

³ *Ibid.* — ⁴ Pag. 137.

⁵ I, q. CXVIII, a. 2 ad 3. Cf *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. II, a. 3 ad 2. Circa brutorum animam praestat legere novissimum opus, *Lettre critique—L'immortalité de l'ame des bêtes jugée par saint Thomas d'Aquin*, par l'abbé J. Beney, Autun 1876.

ART. I. Rerum mundanarum colligatio exponitur

121. Scholastici post Nemesium¹, Auctorem *Librorum Areop.*², aliosque antiquos docuerunt³ diversas naturas rerum, ex quibus mundus conflatur, ita comparatas esse, ut omnes secum congruo naturalique nexus conjugantur, et veluti totidem annuli unicam catenam, aut veluti totidem gradus unicam scalam⁴ componant.

122. Iam quinque gradus in scala creaturarum inveniuntur, quos s. Thomas⁵ exposuit hoc modo: Infimum locum tenent mineralia, seu res, quae sunt expertes vitae, ideoque dumtaxat veluti *substantiae* spectantur. Super mineralia excellunt plantae, quae vitam quidem habent, sed tantum *vegetativam*; et quoniam vita vegetativa est omnium infima, ideo nomen genericum sumunt, et *substantiae viventes*, vel *viventia* dicuntur. Supra plantas assurgunt *belluae*, quae vita *vegetativa* simul, et *sensitiva* gaudent, et *animalia* vocantur, quia animal per sensum a reliquis rebus discriminatur. Belluis succedunt homines, qui vitam non modo *vegetativam*, et *sensitivam*, sed etiam *rationalem* habent, et substantiarum rationalium voce designantur, quia ratio hominem a ceteris rebus discernit. Hominibus, ceterisque creaturis Angeli longe excellunt, qui vita *intellectuali* possunt, et substantiae *intellectuales* nuncupantur, quia res non ratiocinatione, sed per species intelligibiles a Deo infusas cognoscunt.

123. Porro has diversas naturas rerum inter se sese quodam modo contineri ostendimus sequenti Propositione:

Colligatio inter res mundanas reapse existit.

Probatur. Diversae species rerum, etsi discriminantur inter se per differentias, nempe qualitates essentiales, quae sunt singularium propriae, tamen secum consentiunt per genus, cui subiiciuntur. Enimvero, etsi vegetabilia differant a mineralibus, quia illa vivunt, haec vero vita carent, tamen in eo convenient, quod

¹ *De nat. hom.*, c. 1.

² *De Div. Nom.*, c. V, n. 3, c. VI, n. 3, et c. VII, n. 3.

³ Universitas rerum a Scholasticis cum *scala* comparatur, quia Deus per res ab eo creates a nobis cognoscitur, et ideo hae, prout aliae alii excellunt, considerandae sunt veluti totidem gradus, per quos mens humana, quantum eius imbecillitas patitur, ad cognitionem Dei ascendit.

⁴ *Comm. in c. VIII De Div. Nom.*, lect. I.

utraque sunt substantiae. Animalia a vegetabilibus dissident, quod ipsa sensum habent, quo plantae carent; at in eo consentiunt, quod ambo vivunt. Homines a brutis discriminantur, quod ratione praediti sunt; sed, perinde ac bruta, sentiunt. Cum sint Angeli substantiae mere intellectuales, differunt ab hominibus; sed hi cum illis convenient, eo quod intelligent. Insuper ex diversis speciebus una est altera perfectior¹, immo in eadem specie sunt diversi essentiales gradus perfectionis, indeque diversae, ut recentes, aiunt, *classes* existunt². Ex hoc fit, ut nobilior natura per speciem, vel classem inferiorem, quam complicitur, cum ea, quae ignobilioris generis est, coniungatur, et vicissim, ut natura inferioris conditionis per speciem, sive classem perfectiorem, quae in ea continetur, genus rerum, quae nobiliori natura pollent, quodammodo attingat³, nempe ad illud magis accedat. E.g., bellua per *ourang-outang* cum homine, et per polypum cum planta coniungitur⁴. Atqui in his, secundum Scholasticos, colligatio rerum mundanarum consistit. Ergo.

ART. II. *Leibnitiana lex continuitatis expenditur*

124. Rerum mundanarum colligatio secundum Scholasticorum sententiam ita intelligenda est, ut etsi, e. g., quaedam plantarum species ob maiorem sui excellentiam ad speciem belluinanam, et ob eamdem rationem aliquae species belluarum ad hominem

¹ « In rebus naturalibus gradatim species ordinatae videntur. Sicut mixta perfectiora sunt elementis, et plantae corporibus mineralibus, et animalia plantis, et homines aliis animalibus »; I, q. XLVII, a. 3 c.

² Haec perfectionis essentialis gradatio speciem humanam non complectitur; nam, cum homo in genere substantiarum intellectualium infimum locum teneat, non est possibile inveniri in eadem specie humana plures gradus perfectionis, per quos ipsa in plures species, seu classes, alias alia perfectiorem, subdividatur.

³ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 68, et *Comm. in c. VIII De Div. Nom.*, lect. IV, et XXX.

⁴ Manifeste falsum est illud, quod Lockius (*Op. cit.*, lib. III, § 6, 12) voluit, ab homine seriem creaturarum intellectualium usque ad Deum assurgere, quemadmodum ab homine series creaturarum aspectabilium usque ad infinitos inseparabiles gradus descendit. Et sane, nulla res creata esse potest adeo perfecta, ut annulus sit ad coniungendam universitatem rerum creatarum cum Deo: nam inter Deum, et quamlibet creaturam, etsi summam, infinita distantia est; In lib. I *Sent.*, Dist. XLIV, q. I, a. 2 sol.

magis accedant; tamen magnus existat hiatus differentiae essentialis, e. g., inter plantam, et brutum, atque inter istud, et hominem, quicumque sit gradus perfectionis vel in planta, vel in bruto; quocirca secundum illos Doctores inter res mundanas adest connexio, sed non continuatio. At vero non pauci recentes, inter quos Bonnetus¹, Leibnitium² seuti illam colligationem per *legem continuitatis* explicare contendunt. Omnes species rerum, secundum ipsos, ita inter se, veluti totidem annuli unius catenae, colligantur, ut *unicam* et *continuam* lineam efforment, quae a regno minerali ad vegetable, a vegetabili ad animale, et ab animali ad hominem progreditur. Haec autem continuatio fit per species *aequivocas*, nempe species, quae inter duas quasque sunt mediae, et participes proprietatum, quae amborum propriae sunt.

125. Prop. *Lex continuitatis absurdita est.*

Probatur. Repugnat dari illas species *aequivocas*, seu *medias*, per quas catenam entium esse continuum Leibnitius, eiusque asseclae volunt. Ergo.

126. *Antecedens* ita demonstratur: Nulla species rerum ex proprietatibus, quae secum pugnant, componi potest; quia pugnantium proprietatum una alteram tollit. Atqui, si darentur species *aequivocae*, seu *intermediae*, hoc est, species participes proprietatum, quae duabus speciebus eodem genere comprehensis insunt, hae ex proprietatibus secum pugnantibus constarent; quippe quod, cum genus per oppositas differentias in species distribuantur, species *intermediae* ex oppositis, sive secum pugnantibus proprietatibus componi deberent. Ergo nullae species *aequivocae*, sive *intermediae* dari possunt³. Sane, si inter mine-

¹ *Principes philosophiques sur la cause première, et son effet*, Neuchâtel 1783.

² *N.E.*, lib. III, c. 6, § 12, et alibi. Haec theoria a Bernouillio (*Discours sur les lois de la communication du mouvement*, Paris 1727) profecta est. At Leibnitius ipsam adeo excoluit, perpolivitque, ut eius auctor vulgo habeatur.

³ Ut id magis declaretur, mente reputandum est huiusmodi species *aequivocas* omnino differre a speciebus illis *intermediis*, de quibus locutus sumus in *Logica* (p. I, c. I, art. 3, p. 13, vol. I), nempe quae speciei superiori, veluti generi, subiiciuntur, puta *animal viventi*, et ad speciem inferiorem, velut genus eius, referuntur, puta *animal ad hominem*, vel *belluam*. Etenim haec species, uti apposite B. Alb. M. (*De praedicab.*, tract. IV,

rale, et vegetable, inter vegetable, atque animal, inter animal denique, et hominem essent species aequivocae, hoc est participes proprietatum uliusque speciei, existentes in natura rerum species, quae ex proprietatibus oppositis constarent, nempe, res viventes simul, et mortuae, res sensu praeditae, et expertes sensus, itemque res rationales, et irrationales.

127. Hoc argumentum metaphysicum cum accuratis, repetitisque observationibus concordat; siquidem ex iis compertum est diversos gradus perfectionis, qui in quibusdam speciebus inventiuntur, ultra naturam earum haud assurgere; ita ut nullae species aequivocae, vel intermediae in ipsis existere queant.

128. Neque specierum continuatio ex iis, quae ab eius fautoribus adducuntur, probatur. Etenim de hoc dumtaxat inter eos convenit¹, nempe polypum esse speciem aequivocam inter bel-

c. 3) observavit, vocantur mediae, non quod sunt participes specierum, inter quas interiacent, sed quod unaquaque illarum essentiam superioris speciei peculiari differentia determinatam habet, et totam essentiam suam cum inferiori communicat, in qua ipsa per novam differentiam determinatur. At species rerum eo modo, quo Leibnitius, et Bonnetus eas acceperunt, mediae, seu aequivocae essent participatione extreморum, hoc est, ita ut partim ab uno, et partim ab alio extremo efficerentur.

1 Omnes propugnatores legis continuitatis speciem aequivocam inter belluam, et vegetable esse polypum tenent. De transitu autem a bellua ad hominem inter eos non convenit. Sunt, qui cum Buffono, aliisque fatentur speciem aequivocam inter hominem, et belluam non inveniri. Contraria sententiam tuentur Lockius, Leibnitius, et Buchnerus. Lockio visum est hanc speciem aequivocam ab iis hominibus constitui, qui imbecilles sunt a nativitate (*Op. cit.*, lib. III, c. 2, § 22). Leibnitius fassus est nullam speciem medium inter hominem et belluam in nostro terrarum orbe inveniri, sed contendit nihil prohibere, quin illam in alio orbe existere putetur (*N. E.*, lib. IV, c. 16, § 12). Denique impius Buchnerus hodie pertendit Aethiopes esse speciem aequivocam, per quam species belluina cum humana continuatur, quia ipsi in sua structura organica prae se ferunt multa, quibus ad simiam proxime accedunt (*Force et matière*, p. 73, et 76, ed. cit.) Sed haec commenta Lockii, Leibnitii et Buchneri sunt adeo futile, ut vix confutatione egeant. Et sane, quod ad Lockium attinet, sicut, aiente s. Augustino, « videmus infantilem animam nondum coepisse uti ratione, et tamen eam rationalem dicimus » (*De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 7, n. 10); ita homines, qui imbecilles a nativitate sunt, etsi ratione non utantur, tamen rationales, ac proinde homines, dicendi sunt. Quod ad Leibnitium spectat, quidquid sit de aliis mundis, quo sibi singit, procul dubio entia, ex quibus hic mundus constat, ita ab invicem pendere debent, ut inde unicum systema exurgat. Atqui in

luam, et vegetable. At id omnino falsum est¹. Nam polypus, etsi, ob structurae organicae simplicitatem, proprius, quam certae belluae, ad plantam accedat, tamen est *animal*, et non *aliud*, nisi animal; quia, perinde ac animal, sentit, se ipsum movet, et nutrit, manducat et digerit².

ART. III. *De nexibus dynamico, et teleologico rerum mundanorum*

129. Nexus rerum mundanarum non solum ex eo exurgit, quod ipsae, eo, quo exposuimus, modo, inter se colligantur, sed etiam ex eo, quod mutuam in se actionem exercent, atque ex eo, quod una alteri inservit. Hinc duo modi connexionis rerum, nempe per *causarum efficientium*, et per *causarum fi-*

quelibet rerum systemate, Leibnitii iudicio, nullus hiatus esse debet. Ergo, si qua species aequivoca inter hominem, et belluam daretur, haec in nostro mundo inveniri deberet. Denique Buchnerus delirat, non philosophatur. Nam, quaecumque sit similitudo, quae, structura organica spectata, inter simias, et Aethiopes intercedit, certum est Aethiopes ratione pollere, qua simiae, perinde ac reliquae bestiae, carent, eorumque aliquos ideo excoluisse, ut viri in primis erudit, atque acuti evaderent.

¹ Cf Flourens, *Histoire des travaux, et des idées de Buffon, et Cuvier, Histoire de ses travaux*, etc.

² Magis autem absurdum est opinio illorum, qui cum Robineto (*Considérations phil. sur la gradation naturelle des formes de l' être, ou Les essais de la nature, qui apprennent à faire l' homme*, Amsterdam 1768) quotquot sunt in mundo, diversas naturas, non esse aliud, nisi diversa rudimenta unius naturae, nempe humanae et diversas aetas, quas unica illa natura percurrit, usque dum formam omnium perfectissimam, nempe humanam, assequatur. Sane, si omnes species sunt transmutationes unius speciei, consequitur unicam esse omnium rerum, quae sunt, essentiam, seu substantiam, et dumtaxat accidentia diversa. Atqui hoc absurdum est, quia diversae nature, seu species rerum, ex quibus scala mundi constitutur, secundum essentiam, ut vidimus, ab se differunt. Ergo absurdum est opinio eorum, qui omnes naturas rerum ab unius speciei evolutione repetunt. Accedit 1º quod vita, quicunque gradus eius sit, ex evolutione naturae, quae in primis ex evolutione materia bruta est, secundum hanc sententiam, exurgeret; id quod de vita vegetativa et sensitiva abnorme esse ostendimus, et magis absurdum esse quoad vitam rationalem hominis suo loco demonstrabimus: 2º Quod si mundus, uti philosophi isti contendunt, ex vi uni primitivae speciei insita effectus fuisset, Deus omnium, quae extra ipsum sunt, auctor non esset; id quod maxime impium est asserere. De sententia autem huic valde affini, quam Lamarckius, Darwin aliique hodie propugnant, in *Anthropologia* dice-

natum colligationem existunt; quorum primus nexus *dynamicus*⁴, alter *teleologicus*² appellari solet.

130. Prop. 1st. *Nexus dynamicus in mundo invenitur.*

Probatur. Nexus dynamicus in mutua rerum in se actione consistit. Atqui res, ex quibus mundus constat, vim actuosam in sese invicem exercent. Ergo.

131. *Minor ex ipsa contemplatione rerum evincitur.* Etenim certum est res corporeas aliquid in organa sensoria corporis nostri agere, quippe quod, nisi quidquam in ea agerent, illarum sensationes in nobis fieri non possent. Certum quoque est nos in res corporeas, quibus circumdamur, multa agere, ut illas ad nostrae vitae utilitatem, oblectationemque accommodemus. Certum denique est res corporeas in se ipsas aliquid invicem agere; constat enim inter omnes terram, et corpora coelestia se mutuo attrahere vi gravitationis, unde regularis ille motus planetarum exoritur, corporaque, quae in terra sunt, sive simplicia, sive mixta, mutuas actiones in se exercere ob vim attrahendi, et repellendi, qua pollut³.

132. Prop. 2nd. *Nexus, qui per causas finales efficitur, in mundo existit*⁴.

¹ Ita dicitur a *vi*, seu *energia* (*δύναμις*), quam res naturales in se exercent.

² Ita appellatur a *fine* (*τέλος*), cuius gratia una res alteri inservit.

³ Hanc propositionem demonstrantes pro certo sumsimus, omnes res, quae in mundo sunt, vi actuosa pollere. Id enim tum ex iis, quae de viventibus, immo de ipsis corporibus inanimis iam dicta sunt, aperte colligitur, tum ex theoria de principiis constitutivis rerum, materiali nempe, et formalis; principium enim formale, ut suo loco vidimus, est principium activum, quia quaelibet res ex eo ipso, quo constituitur, vim operandi accipit. Hinc s. Damascenus: « Actus est *vis*, motioque cuiusque substantiae, qua caret illud solum, quod non est »; *De fide orthod.*, lib. II, c. 23. Argumentis autem, quibus cum Malebranchio omnem activitatem, vel cum Leibnitio activitatem transeuntem substantias creatis repugnare probatur, nullum pondus inesse iam alibi (*Ontol.*, c. IX, art. 2, p. 61, et art. 7, p. 69, et 70) ostensum a nobis est.

⁴ Philosophus, quos causis finalibus infensose esse innuimus in *Ontol.* (*ibid.*, art. 4, p. 64, not. 4), adiiciendi sunt, praeter Robinetum, aliquos Materialistas, atque Atheos saec. XVII, et XVIII, omnes, qui post Augustum Comteum philosophiam positivam, seu materialisticam in Gallia, et in Anglia hodie tueruntur, necnon Büchnerus, aliqui Materialistae Germaniae. Argumenta, quibus causas finales admittendas esse probatur,

Probatur. Partes universi, ut s. Thomas inquit, ita ordinantur ad invicem, sicut et partes exercitus ad invicem¹. Atqui exinde nexus teleologicus exurgit. Ergo.

133. *Maior ex phaenomenis*, quae in tota hac rerum universitate cernuntur, ea evidenter probatur, qua nulla maior desiderari potest. Enimvero sive in coelum, sive in terram, sive in mare oculos coniiciamus, in phaenomena incidimus, quae rerum alias aliarum finibus, commodisque inservire luculenter commonstrant. E. g., ex viventibus plantae ad nutrimentum belluarum, et hominum adhibentur, et belluae in usum, commodumque hominum cedunt. Res vitae expertes, puta aqua, aer, aliaque huiusmodi, ad plantarum, belluarum, et hominum bonum comparatae sunt. Atmosphera respirationi, et sustentandis vaporibus, qui ex aquis oriuntur, deservit; venti vapores in nubes cogunt, et noxias exhalationes dissipant; aquae ex montibus decurrent, ut plantae, bruta, et homines ad vitae conservationem ipsis utantur. Tota terra, corporaque coelestia in sese invicem gravitant, et gravitatione sui concentum illum, sive harmoniam efficiunt, quae astronomos incredibili stupore percellit. Hic vero concentus non modo inter diversas naturas rerum, ex quibus mundus conflatur, sed etiam inter partes organicas cuiuslibet viventis conspicitur². In his enim, uti a Blainvilleo³ demonstratum est, singula organa ad easdem operationes in eadem specie destinantur, atque ita inter se connectuntur, ut integer, perfectusque organismus inde existat.

videantur *ibid.*, p. 63-64. Sunt autem qui cum Bacon, et Cartesio, etsi causas finales in mundo dari non negent, illarum tamen investigationem progressui naturalium scientiarum valde noxiā esse contendunt. At contra, cognitio causarum finalium ad leges phaenomenorum inveniendas magno praesidio est, tantum abest, ut sit impedimento. Et sane, cognito fine cuiusque rei, facile est operationes cognoscere, quae sunt propriae eius, quia omnis res per operationes suas finem sibi praestitum assequitur, et natura finis cuiuslibet rei cum natura operationum eius consentire debet. Atqui cognitio operationum naturae ad cognitionem legum, secundum quas phaenomena eveniunt, nos ducit, quia leges phaenomenorum non sunt aliud, nisi leges, secundum quas res corporeae necessario operantur. Ergo, cognitis finibus rerum, nullo negotio possunt cognosci leges phaenomenorum, quae circa ipsas versantur.

¹ *Contr. Gent.*, lib. I, c. 78, n. 3. Cf s. Aug., *Contr. Faust.*, lib. XXI, c. 13.

² Cf s. Aug., *Contr. Advers. Legis, et Proprh.*, lib. I, c. 6, n. 9.

³ *Dictionnaire des sciences naturelles*, Supp. t. I, art. *Animal*.

134. Ex eo autem, quod nexus finium inter res mundanas existit, illud, tamquam corollarium, consequitur, res mundanas ad unicam causam finalē, quae extra mundū est, referri. Et sane, res mundanae nexus finiuſ inter se connectuntur ex eo, quod sunt partes unius entis compositi, nempe mundi. Atque omnes partes entis compositi ad eiusdem entis compositi finem, qui nonnisi unus esse potest, assequendum concurrunt. Ergo res mundanae ex eo, quod per nexus finium suorum inter se connectuntur, ad unicam causam finalē mundi referuntur. Haec autem extra ipsum mundum existere debet, quia in rebus creatis finis extra rem, cuius est finis, invenitur¹.

ART. IV. *De ordine naturae, et primum quaedam circa ipsum notiones praestituntur*

Postquam rerum mundanorum nexus exposuimus, de *ordine naturae*, et de *legibus*, quibus ille ordo continetur, disseramus oportet; nam nisi res mundanae in universalē ordinem concurrent, unicum mundi systema, uti ante innuimus, ex eis haud efformaretur. In antecessum e re est quasdam notiones explicare.

135. Vox *naturae*, prout hic adhibetur, totam universitatem rerum creatarum significat².

Naturale dicitur illud, quod pertinet ad conditionem rerum creatarum, prout nempe hae in suo genere constituantur, et operationes intra genus suum exerunt. *Naturali* hoc sensu accepto opponitur *supernaturale*. Dicitur enim supernaturale illud, quod totius naturae creatae proprietates, viresque praetergreditur³. Huiusmodi, e. g., est elevatio naturae humanae ad unionem hypostaticam cum Verbo Dei. Ex his vides supernatu-

¹ De hac re uberiorius in *Theologia naturali*.

² Nomen *naturae*, ut diximus in *Ontologia* (c. II, art. 1, p. 13), si stricte accipiatur, denotat essentiam rei, prout est principium suarum operationum. Interdum nomen *naturae* adhibetur non ad significandam proprię essentiam rei, prout est principium operationum, sed ad significandam ipsam vim operandi, quae rebus naturalibus insita est (Cf s. Thom., I, q. CXV, a. 2 c.). Hoc sensu dicitur medicina adiuvare *naturam*. Interdum etiam usurpatur ad significandas causas naturales, prout hae per propensionem sibi insitam aliquid agunt; e.g., cum dicitur, *Natura nihil frustra molitur*.

³ Cf s. Thom., 1^a 2^{ae}, q. CXII, a. 1 c.

rale, prout naturali opponitur, non esse accipendum *relative*, hoc est, prout una *natura creata* est altera superior, sed *omni-no absolute*, hoc est, prout omnem *naturam creata* excedit. Ita, quamvis *natura angelica* sit *humana maior*, excellentiorque, non tamen inde ipsa est dicenda *supernaturalis*, quia ambitu rerum creatarum continetur⁴.

136. Nomine autem *ordinis* designatur *apta dispositio plurium ad assecutionem finis*. Iam ordo in rebus creatis considerari potest vel prout ad earum *naturas*, earumque *naturales vires* pertinet, vel prout illarum *naturas*, et *naturales vires* praetergreditur. Inde divisio exurgit ordinis in *naturalem*, et *supernaturalem*. Ordo *naturalis* in iis omnibus versatur, quae ambitu *naturae* continentur, tum quoad rerum creatarum substantias, tum quoad vires, quibus ipsae intra genus suum sese explicant, et perficiunt. Ordo autem *supernaturalis* ea *omnia complectitur*, quae omnem vim *naturarum* *creatrarum* praetergrediuntur, *naturasque* ipsas ultra genus suum perficiunt².

137. Ordo *naturalis*, de quo hic agimus, ille est, qui inter res mundanas existit; unde vocatur *physicus*, vel *ordo naturae*, ut distinguatur ab *ordine logico*, illo nempe, quem intellectus inter suas conceptiones ponit; tum ab *ordine morali*, qui circa humanas actiones versatur, prout hae ad finem hominis spectant; denique, ne cunctos enumeremus, ab *ordine politico*, in quo *gubernatio civitatis* fundatur.

138. Normae, secundum quas *ordo physicus* efficitur, leges *naturae*, vel *physicae* vocantur³, et consecutio eventuum secundum ordinem *physicum*, nomine *cursus naturae* designatur.

¹ Vid. Schrader, *De triplici ordine etc.*, Pars altera, c. 3, § 2.

² Ex hac ordinis *supernaturalis* notione perspicitur ipsum verbo retiniri, sed re tolli ab iis omnibus, qui non id, quod *absolute*, sed id tantum, quod *relative* *supernaturale* est, admittunt. Ut de uno Giobertio dicamus, hic pertinet quamlibet *naturam esse naturalem*, si ad *naturam ipsa superiorem*, et *supernaturalem*, si ad aliam *naturam ipsa inferiorem* referatur (*Teoria del sovrannaturale*, not. XLV, p.384, et 385, ed. 2^a, Torino 1849). Quin immo ipse, errori Deistarum, seu Naturalistarum adhaerens, scripsit quoque persuasionem de existentia ordinis *supernaturalis* ab ignoratione causarum proficiisci; quocirca, prout cognitio causarum progreditur, ambitus ordinis *supernaturalis* coarctatur; *Filos. della Riv.*, § 3, p. 13, Torino 1856.

³ Secundum s. Thomam hae leges sunt quaedam *impressions* a Deo factae in rebus ratione parentibus, ut hae in certum finem inclinentur,

ART. V. Ordinis naturalis existentia, et ordinis supernaturalis possibilitas adstruuntur

His notionibus praestutis, inquirendum nobis est, an ordo naturalis in mundo existat, atque an ordo supernaturalis sit possibilis⁴.

139. Prop. 1^a. Ordo naturalis in mundo existit.

Probatur. Deus mundum ita debuit, et scivit creare, ut fini, ad quem ipsum destinavit, adamussim respondeat. Atqui mundus non potest finem assequi, ad quem Deus illum destinavit, nisi ordo in ipso existat, quia ordo, ut diximus, est apta partium ad finem assequendum dispositio. Ergo, si Deus est auctor mundi, ordinem in mundo esse pro certo habendum est².

140. Quod si res ista cum iis agatur, qui Deum esse auctorem mundi negant, argumentari adversus ipsos licet hoc modo: Ea, quae in mundo sunt, ipsis Atheis non dissidentibus, unicum systema efficiunt. Atqui ex pluribus, diversisque rebus, cuiusmodi sunt mundanae, aliquod unicum sistema exurgere non potest, nisi speciales, diversique earum fines ad finem unicum totius systematis concurrant; concurrere autem ad hunc unicum finem non possunt, nisi res ipsae inter se colligatae sint, nempe nisi ordine inter se contineantur. Ergo si cunctae res, ex quibus mundus conflatur, unicum sistema efformant, ordo procul dubio in mundo existit³.

141. Advertendum etiam est ordinem universalem, quo res omnes unicum mundi sistema constituunt, ex multis ordinibus particularibus inter se connexis efformari. Id a s. Thoma se-

atque determinentur ad uno p[ro]p[ter]e alio modo operandum: « Sicut homo imprimis denuntiando quoddam interius principium actuum homini sibi subiecto, ita etiam Deus imprimis toti naturae principia propriorum actuum: et ideo per hunc modum Deus dicitur praecipere toti naturae¹; 1^a 2^{ae}, q. XC, a. 4 c. Sed de hac re fusior sermo erit in *Philos. morali*, p. I, c. IV, a. 3, ubi de lege aeterna verba faciemus.

⁴ Possibilitatem dumtaxat ordinis supernaturalis Philosophus investigare debet; nam Theologorum est inquirere, utrum, nec ne aliquis ordo supernaturalis a Deo in mundo constitutus sit.

² Cf s. Thom., 1^a 2^{ae}, q. CIII, a. 2 c.

³ Incredulos, qui mala, quae in mundo conspicuntur, exaggerant, ut ex his ordinem in mundo desiderari confiant, in *Theologia naturali* refutabimus.

quenti comparatione declaratur: « Oportet quod omnes particulares ordines sub illo universalis ordine contineantur, et ab illo descendant, qui inveniuntur in rebus, secundum quod a prima causa dependent. Huiusmodi exemplum in politicis considerari potest. Nam omnes domestici unius patrisfamilias ordinem quemdam ad invicem habent, secundum quod ei subduntur. Rursus autem tam ipse paterfamilias, quam omnes alii, qui sunt sue civitatis, ordinem quemdam ad invicem habent, et ad principem civitatis, qui iterum cum omnibus, qui sunt in regno, aliquem ordinem habet ad regem⁴.

142. Prop. 2^a. Nihil prohibet quominus ordo naturalis in mundo cum supernaturali coniungatur.

Probatur. Ordo supernaturalis neque ex parte Dei, neque ex parte rerum creatarum, neque ex parte ordinis a Deo creati aliquam repugnantiam exhibet. Ergo. Et sane, non repugnat a parte Dei; nam sapientia, et potentia Dei creatione naturae non exhaustiuntur, ac proinde Deus rebus a se creatis perfectionem largiri potest maiorem ea, quam earum natura expostulat, ita ut actiones nativis suis viribus superiores exercere queant. Nec repugnat a parte rerum creatarum; hae enim, ut alibi diximus², potentiam obedientiae a Deo acceperunt, ut valeant ea in se recipere, vel agere, quae facultates suas naturales praetergrediuntur. Nec demum ex parte ordinis a Deo creati; nam ordo supernaturalis ordinem naturalem distinctum servat, et ipsum, quin perturbet, perficit, quia naturas rerum ad actiones superioris ordinis exerendas aptas reddit.

ART. VI. De natura legum physicarum

143. Mundum quibusdam legibus contineri, secundum quas mundanae res actiones suas constanter eodem modo exerunt, communis hominum opinio est. Homines enim, quoniam de existentia legum physicarum persuasum eis est, rebus futuris provident, de agendis consilia ineunt, rationemque vitae suae instituendae decernunt. Ex qua persuasione oriuntur omnes artes, et scientiae, quae ad tuendam, ornandamque vitam ab hominibus institutas fuere. At vero a Philosophis disputatur, cu-

¹ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 98.

² Cf *Dynam.*, c. I, art. 8, p. 101, vol. I.

iusnam naturae illae leges sint, scilicet, utrum necessariae, an contingentes.

144. Prop. *Leges physicae, si ad Deum relatae spectentur, sunt contingentes; sin ad res ipsas relatae considerentur, sunt necessariae.*

Prima pars probatur contra Pantheistas¹, Fatalistas², Deistas³, et nuperos Materialistas⁴. Deus quemadmodum ex liberrima sua voluntate naturas rerum condidit, ita ex eadem liberrima voluntate diversos modos, quibus ipsae mutuam actionem in sese exercent, diversasque leges, quibus mundus gubernatur, constituit. Ergo leges naturae, si ad Deum relatae considerentur, eiusmodi sunt, ut aliter esse potuerint, nempe contingentes⁵.

145. Altera pars probatur contra veteres, recentesque Atomistas, qui mundum ex fortuito atomorum concursu effectum fuisse putant, ac proinde leges, quibus res mundanae continentur, non nisi fortuitas, ideoque contingentes esse contendunt; necnon contra Cartesium, aliosque, qui essentias rerum necessarias, et immutabiles esse negant; ac proinde leges, secundum quas phaenomena naturae eveniunt, necessariae, ac immutabiles nullo modo, ex eorum sententia, esse possunt: Leges naturae sunt modi constantes, atque uniformes, quibus res naturales operantur, ac proinde ipsae operationibus rerum naturalium consentaneae esse debent. Atqui operationes rerum naturalium sunt, ut alibi diximus⁶, necessariae, quia naturae rerum, quae

¹ Hi, cum censeant cunctas res esse necessarias emanationes, vel manifestaciones Dei, cohaerenter blaterant leges naturae non esse aliud, nisi modos constantes, atque uniformes, quibus Deus se necessario effundit, et evolvit.

² Secundum istos, Deus in mundo condendo necessitati subiectus est, ac proinde non aliis legibus, quam quas ei dedit, coagmentare ipsum potuit.

³ Secundum horum sententiam, Deus mundum a se conditum sibi ipsi reliquit. In hunc censem veniunt Saissetus (*Essai de phil. relig.*, Part. 2, Médit. IX, ed. 3, Paris 1862), aliquis, qui mundum a Deo legibus universalibus dumtaxat gubernari obganiunt.

⁴ E. g., Moleschott, Vogt, Büchner, cum omnia ex materiae vi oriri obganiant, non solum naturas rerum, quae fiunt, sed etiam leges, secundum quas fiunt, necessarias, aequae ac materia, esse contendunt. Cf Büchnerum, *Force et matière*, trad. cit., p. 32, et 33, Paris 1863.

⁵ Cf s. Aug., *De natura boni contra Manichaeos*, c. 3, et *De Gen. ad litt.*, lib. IX, c. 17, n. 32.

⁶ Criteriol., c. IV, art. 2, p. 243, vol. I.

sunt illarum principium, et subiectum, vi electionis destituuntur. Ergo leges, quibus mundus gubernatur, si in se spectentur, necessariae, et determinatae esse debent¹.

146. Haec, quam propugnavimus, sententia circa legum physicarum naturam, duos, ut s. Thomas advertit², oppositos scopulos *fati*, et *casus* vitat. Et enim, dum cunctas leges naturae, secus ac ii, qui Deum sato subiiciunt, ex liberrima voluntate Dei repetit, in ipsis rebus, aliter ac defensores *casus* obganiunt, rationem legum naturalium querendam esse decernit.

ART. VII. *De miraculis, et primum de eorum notione, et diversis speciebus*

147. Miraculum denotat effectum *supernaturalem, insolitum, et sensibilem; supernaturalem*, hoc est, qui vires totius naturae creatae praetergreditur, ita ut nulla creatura ipsum efficere valeat; *insolitum*, hoc est, eiusmodi, ut *excludat solitum cursum naturae*³; *sensibile*, nempe, ut manifestum omnibus sit, vel *secundum se*, vel in suis effectibus⁴.

¹ Cf s. Aug., *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 3, n. 7, et lib. IX, c. 17, n. 32. Ex iis, quae demonstravimus, perspicitur necessitatem legum naturae non esse huiusmodi, ut oppositum earum sit absolute impossibile, sed in eo dumtaxat consistere, quod si res naturales secundum suam naturam operentur, non nisi secundum illas leges operari possunt.

² *Contr. Gent.*, lib. II, c. 29.

³ « Insolitum, ait s. Thomas, quod in definitione miraculi ponitur, non dicit raritatem facti, sed excludit solitum cursum naturae; unde, si quotidie caeci illuminarentur, nihilominus miraculum esset, quia praeter cursum naturalem, qui nobis est consuetus, contingeret » (*In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 3 ad 2). Hinc creatio animae humanae miraculum dici non potest, quippe quod, quamvis vires totius naturae supererit, tamen non est, ut Benedictus XIV ait, praeter ordinem naturae, cum fiat iuxta rerum conditionem »; *De Beatif. et Canoniz. Sanctorum*, lib. IV, c. 1.

⁴ E.g., scientia Apostolorum fuit miraculum, quia « quamvis secundum se non fuerit manifesta, manifestetur tamen in effectibus » (I, q. CV, a. 7 ad 3). Rousseau (Rousseau, *Lettres de la montagne*, Lett. III), aliquis contendunt nosnumquam posse cognoscere, an aliquod opus sit miraculosum; quia, cum non sint nobis omnes leges naturae perspectae, cognoscere haud possumus, utrum, necne aliquis effectus vires naturae praetergrediatur. Ast si omnino falluntur. Et sane, quamvis non omnes leges naturae nobis sint exploratae, inde inferri nequit nobis exploratum esse non posse, utrum, necne aliquis effectus vires naturae praetergrediatur. Nam nos miracula dicimus illa opera, quae exploratis naturae le-

148. Que haec definitio miraculi clarior fiat¹, divisio miraculorum, quae a Philosophis, atque ab Apologetis christianis traditur, exponenda nobis est.

Miraculorum divisio diversitatibus graduum innititur, quos miracula inter se tenent. Iamvero tres gradus in serie miraculorum designari possunt, quorum *supremum* tenent miracula *quoad substantiam*, seu in eo, quod fit; *medium* miracula *quoad subiectum*, seu in eo, in quo sunt; et *infimum* miracula *quoad modum*, seu in modo, quo sunt². Hinc miraculum ita dividitur, ut sit vel *quoad substantiam*, vel *quoad subiectum*, vel *quoad modum*.

149. Miraculum *quoad substantiam* dicitur opus, quod vires totius naturae creatae essentia sua superat, ita ut nulla ratione ab aliqua causa creata effici possit. Huiusmodi, e. g., est penetratio duorum corporum, quae in resurrectione I. Christi ex sepulcro non aperio, atque in Eius ingressu ad discipulos suos, clausis ianuis, evenit; quippe quod, cum omne corpus sit naturaliter impenetrabile, penetrationem duorum corporum omnis creata vis nullo modo efficere potest.

150. Miraculum vero *quoad subiectum* dicitur opus, quod vires totius naturae creatae superat non essentia sua, sed propter conditionem subiecti, in quo fit; ita ut causae creatae similia illi efficere valeant, sed non in subiecto, in quo illud efficitur. Ita certum nobis est causas creatas ad vitam, et visionem in rebus producendam concurrere, quia vivens a vivente gignitur, atque visio in animali perfecto per generationem obtinetur. At certe vitam in mortuo exsuscitare, aut visionem caeco restituere nulla alia causa potest, sed solus Deus, qui viventia e nihilo eduxit, et visione animalia perfecta ornavit.

versantur. Atqui si non omnes, certe plures naturae leges, eodem Roussevio, eiusque asseclis fatentibus, compertae nobis sunt. Ergo cognoscere nobis licet, num aliqua opera sint miraculosa. Frustra regereret posse fieri, ut aliquis effectus, qui cum legibus notis non concordat, legibus nondum exploratis sit consentaneus; repugnat enim dari in rerum natura leges duplicitis generis secum pugnantes; ideoque duos ordines, quorum unum alterum tollit. Cf Bergier, *Traité historique, et dogmatique de la vraie religion*, part. V, c. I, art. 1, Paris 1784.

¹ De falsis definitionibus miraculi verba non facimus, nam ex theoria s. Thomae, quam hic exponimus, quisque veram a falsa definitione miraculi dignoscere potest. — ² Contr. Gent., lib. III, c. 101.

151. Denique miraculum *quod modum* est opus, quod nec propter essentiam, nec propter subiectum, sed propter modum, quo fit, vires totius naturae creatae supergreditur. Huiusmodi miracula existunt, cum aegrotus sine praeviis remediis, et sine ulla crisi convalescit, viresque corporis subito resumit, vel cum tempestas in tranquillitatem subito mutatur¹.

152. Ex iis, quae de notione, et diversis speciebus miraculi statuimus, facile intelligitur, quid *mirabile* a miraculo differat. En brevem, luculentamque theoriā s. Thomae²: Ad efficiendum mirabile duo requiruntur: 1° ut causa eius sit occulta; 2° ut in re, in qua fit, aliquid ipsi repugnans esse putetur. Iam utrumque duobus modis contingere potest. Etenim causa eventus, quem admiramus, vel est occulta *secundum se*, hoc est eiusmodi, ut omnes lateat, vel occulta *quoad nos*, hoc est, eiusmodi, ut quosdam solum lateat. Item in eveniu, quem admiramus, vel vere est aliquid repugnans in re, ad quam eventus pertinet, vel apparet esse, dum vere non est. Si causa eventus, quem admiramus, est *secundum se* occulta, atque in re, circa quam ipsa versatur, est contraria dispositio ad ipsum producendum, eventus est illud, quod *miraculum* vocatur; quia Deus, quippe qui in rebus omnibus *secretissime* operatur, est causa *occultissima*, et *remotissima a nostris sensibus*, atque Ipse tantum in rebus operari potest aliquid, ad quod res non sunt comparatae. Si causa eventus non omnibus, sed quibusdam dumtaxat sit occulta, neque in re sit aliquid, quod ei vere repugnat, sed solum secundum *opinionem*, seu apparterenter, effectus *mirabilis* vocatur³.

¹ Exinde explicari potest, qua ratione miracula *supra*, vel *contra*, vel *praeter* naturam cum eodem Aquinate dici possint. Miraculum *supra naturam* fieri dicitur, cum patet illud superare vires totius naturae creatae, eo quod quaevis natura illum effectum vel omnino producere non potest, vel illum producere non potest in eo subiecto, in quo productum conspicitur. Miraculum vero *contra naturam* patrari dicitur, si in rebus, in quibus fit, « remanet, ut s. Thomas ait, dispositio contraria ad effectum, quem Deus facit » (Qq. disp., *De Pot.*, q. VI, a. 2 ad 3). Huiusmodi miraculum factum est, cum ignis pueros Babylonis non combussit, remanente in eo virtute, qua ministros regis incendit. Denique dicitur miraculum esse *praeter naturam*, cum notum est illud esse effectum, quem natura potest quidem producere, sed non in illo modo, quo revera producitur, e. g., Aegyptum repente ranis scatere.

² I, q. CX, a. 4 ad 2; cf s. Aug., *De Trin.*, lib. III, c. 7, 8, et 10.

³ Non desunt notae, quibus miracula veri nominis a mirabilibus disser-